











55191/B

7c (17)

19749

1011  
11/19





Digitized by the Internet Archive  
in 2017 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b28764201>

















---

---

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

AMAUROSI.

---

---





DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,

DE

A M A U R O S I;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti:

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

WARNER WRIGHT,

ANGLUS.

Soc. Med. Soc. Extraord.

Ad diem 25. Junii hora loquoque solitis.



EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO,

APUD ALEX. SMELLIE.

1798.

19749



OPTIMO ERUDITOQUE

VIRO

ANDREÆ MARSHAL, M. D.

ANATOMIAM

LONDINI, CUM SUMMA LAUDE DOCENTI,

HOCCE QUÆCUNQUE OPUSCULUM,

OBSERVANTIÆ, GRATIQUE ANIMI

TESTIMONIUM

OFFERT

AUCTOR.





DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

AMAUROSI.



**M**ORBUS, quem dissertationis hujus  
argumentum selegi, sic apud Cul-  
lenum definitur :

“ Visus imminutus vel prorsus abolitus,  
“ sine vitio oculi evidente ; plerumque cum  
“ pupilla dilatata et immobili.”

Malum nascens unicum tantum oculum  
A interdum

interdum adoritur; citius autem aut ferius alterum quoque plerumque invadit.

In plerisque exemplis, quae mihi vidisse contigit, oculi bini, alter vero plerumque altero magis, caligabant.

Amauroseos historiam, quae cunctas mali varietates amplectitur, tradere res est cum primis difficilis; non solum enim mali tentatio, sed etiam indices, ob diversam causarum naturam, ordinem, ac vim, mirum in modum a se invicem distant; modo repente invadit, modo sensim obrepit; nec interdum, nisi annis labentibus, aeger luminibus orbatur.

Signorum sequentium plura pauciorave, aspectum sensim amissurum saepius vexare notantur. Morbum plerumque praegreditur capitis dolor, interdum levis, modo quidem

dem tantillus, ut aegro nisi de eodem interrogato in mentem non veniat: dolor autem nonnunquam praegravis existit.

Oculi simul usû citius solito fatigantur; rerumque lucidarum oblatarum ideae, quae, salvâ sanitate, brevi subsistere, jam multo diutius perstant; quod primis forsan nascentis mali indiciis annumerari potuerit.

Inter primos quoque morbi indices, scintillae, flammae aureae, maculaeque variis coloribus, formis, et gemmis quasi distinctae, corpore praesertim praeter solitum commoto, vel subito inclinato, eminent.

Maculae nigrae, modo unica tantum, oculis obvolitare videntur; ineunte morbo subito evanescent, subinde revertuntur, stabiliores sensim tandem futurae. Quidam aegri maculas quoque rubras vident, quas, vestigiis

vestigiiis qualia digitorum apices sanguine imbuti relinquunt, affimulare solent.

Lucerna quasi iride cincta cernitur. Res oblatae bipartitae, et in miracula risum moventia transformatae aliquando videntur.

Quidam aegri qui binis oculis confusiùs vident; alterutro eorundem clauso, res altero aequè fere bene, ac sanitate perstante, cernere valent; multique, qui ante malum inchoatum nullo visus defectu laborabant, longinqua jam multo clarius quam propiora vident.

Nonnulli denique, qui rerum oblatarum colores distinguere vix possunt, extremas earum lineas satis bene discernunt.

Aeger horum malorum pluribus paucioribusque plus minus diu vexatus, lumine tandem



dem orbus evadit: caligo enim oculis præ-  
 tensa paulatim densatur; dies a nocte vix  
 fecernitur; retina tandem, luce etiam ful-  
 gida admota, non movetur, miserque præ-  
 claro hoc scientiæ, et oblectationis fonte  
 privatus, caecos vitæ tramites atræ caligini  
 damnatus explorare cogitur.

“ Thus with the year  
 “ Seasons return; but not to me returns  
 “ Day, or the sweet approach of ev’n or morn,  
 “ Or sight of vernal bloom, or summer’s rose,  
 “ Or flocks, or herds, or human face divine;  
 “ But cloud instead, and ever-during dark  
 “ Surrounds me, from the chearful ways of men  
 “ Cut off, and for the book of knowledge fair  
 “ Presented with an universal blank  
 “ Of nature’s works, to me expung’d and ras’d,  
 “ And wisdom at one entrance quite shut out.”

Oculos attentius scrutatus mutationem  
 haud levem subiisse plerumque inveniet; pu-  
 pilla sæpius ampliatur; usque adeo inter-  
 dum ut Iris vix jam videnda, circuli exilif-

fimi speciem præ se ferat: contra eadem ad minimam diametrum aliquando contrahitur. Pupilla interdum, vivida etiam luce admotâ, non minuitur: contractio vero pupillae retinae sensui pro ratâ plerumque apte respondet: hoc autem minime perpetuum est; iris enim quibusdam aegrîs, qui diem à nocte vix fecernere potuerunt, aequè propemodum bene ac sanis contrahitur.

Pupilla oculi centro haud semper obvertitur, jamque formae vice rotundae, ovatam vel aliter mutatam subinde induit.

Quando aeger auscultat, osque ad locum unde strepitus exoritur obvertit, oculi ita interdum diriguntur, ut axes in re quaesita non coëant, sed potius indecore divaricent.

Nonnulli hoc malo laborantes strabones fiunt. Oculorum motus abnormes fiunt:  
modo

modo praeter naturam tardi, modo, nec raro, tremuli, unde omnia aegro contremere videntur. Caliganti interdum, praesertim primo rem inspecturo, visus est duplex.

Oculi praeter solitum splendescunt; et humores subalbidi apparent.

Capitis dolor interdum remittit, oculis simul magis hebescentibus: et saepe, iisdem penitus caligantibus, omnino cessat: hoc autem minime est perpetuum; miserandus enim non solum visum amissum plorat, sed etiam saevum capitis dolorem patitur.

Caecitas vero interdum nullo capitis dolore, nec signis etiam supra enarratis astantibus, caliganti, caetera licet sano, supervenit.

Rubor ore suffusus, tinnitus aurium, vertigo,



tigo, &c. amaurosin haud raro comitantur. Nec raro tum animi tum corporis languor, resolutionesque nervorum indicia huic malo se comites jungunt. In hemiplegia oculus, qui laborat, corporis latus affecto contrarium plerumque occupat. Oculi pariter muscoli paralyfi afficiuntur, ita ut oculus eòdem tantum moveri queat, et palpebrae haud raro immobiles fiunt. Aeger partium circa oculum sitarum rigiditatis sensum conqueritur. Nares fere semper ficci sunt.

*Ratio Symptomatum.*— Scintillae, flammæ aureae, &c. ex pressu vasis retinae sanguineis illato pendere videntur: corpore enim exercitato, cum vasa vi solito majore retinam premunt, praecipue apparent. Modo quo hujusmodi pressura retinae scintillas, &c. excudit, aliquid forsan luminis offundit experimentum sequens quod Dominus Elliot in se fecit.\*

Hic

\*Obs. on Vision and Hearing.

Hic vir ingeniosus; rem saepius haud sine aliquo quidem dolore sibi allato, expertus; dum oculorum pupillas manibus sibi valide premebat, pressura simul aucta, oculisque immobilibus fere factis, adhibitâ palpebrarum et muscutorum vicinorum contractione, hemisphaerium lucidum, lunae, aut lucernae lumini haud absimile, intervallis obscuris, aut minus lucidis, et saepe accuratissime ordinatis, distinctum aliquo tempore elapso, ante oculos sibi comperit: Radios luminis contortos, caeteris lucidiores mirum in modum vermiculatè vibratos, nonnunquam videre sibi visus est:

Pressu ad oculorum ruborem et ardorem usque continuato, lumen summum suum splendorem, luce meridiana vix minorem adeptum est:

Hac vividâ pressurâ ulterius adhibita,

B

splendor



splendor evanidus factus in colorem subcoeruleum abiit, pluresque maculae multicolores illico exiliere; his tandem extinctis, lumen penitus evanuit, neque continuato, neque aucto pressu rediturum. Manibus jam amotis, oculi demum aperti, prorsus, imo ad solis radios, caligabant, nec nisi post diem longum idque sensim, visum recuperaverunt.

Maculae nigrae oculis obvolitantes particulis retinae sensu orbatis, et hinc ad lucem caligantibus tribuendae sunt.

Res oblatae, bipartitae, aut alio quovis modo insignitae, ex eadem causa pendent.

Tantus retinae cum iride consensus intercedit, ut hujus motus in homine ex illa ferre omnino pendere videantur : homo autem  
pupillam

pupillam diversis rerum distantis accommo-  
dare potest ; et quaedam animantia, psitta-  
cus nimirum et felis, ita a natura comparan-  
tur, ut iridem pro arbitrio moveant. Iris  
luminis radiis ipsi impingentibus non mo-  
vetur, facile autem retinae incidentibus  
contrahitur, et iridis motus generatim reti-  
nae sensui satis apte respondet : hinc iris,  
nascente amaurosi, insigni se contrahendi  
vi, minori tamen, quam salvâ sanitate, pol-  
let ; malo progrediente, minus minusque  
contrahitur ; donec tandem, aegro penitus  
occaecato, prorsus immobilis fit. Res au-  
tem haud semper sic se habet, aliquando  
enim amaurosi omnibus numeris absolutâ  
laborantibus, perinde ac sanis contrahitur :  
et contra, in ultimo hydrocephali stadio pu-  
pilla ad maximam usque diametrum non-  
nunquam, vivida luce admota, dilatabitur.  
Idoneam harum rerum rationem reddere  
difficile foret.

Formae

Formae pupillae abnormes cum filis transversis raro, nisi subsit inflammatio, observantur; et ex iride partibus vicinis adhaerente pendere videntur. Quod pupilla oculi centro non obvertitur, hoc in quibusdam forsan exemplis cuidam iridis portioni nervorum resolutione affectae tribui debet. De duobus exemplis, quibus pars pupillae summa praeter solitum dilatata, nervorum, quibusdam oculi, et palpebrae superioris, musculis inservientium resolutionem comitem habuerat, certior factus sum. Haec bina exempla vim partibus ad foramen superorbitarium illatam, causam agnoverunt.

Neque iridis portionem paralyti interdum affectam esse, vero abfimile videbitur reputantibus, partes iridis quasdam in nonnullis animalibus, stimulis admotis, se contraxisse.\*

Vifus duplex ex impotentia binos oculorum

\* McLouglin, Tent. Inaug. de Oculo.

lorum axes eodem deflectendi pendet: imago enim super retinae partes inter se dispareres et quae non consentiunt, depicta duplex videatur oportet.

## CAUSÆ MORBI.

Quando visus distinctus ex imagine accurata super oculi fundum depicta non exoritur; cerebrum, nervum opticum, aut retinam morbo teneri, jure conficitur: causas igitur quatenus in has partes agunt, ordine perpendemus.

Cerebrum afficientes causae sunt vis externa capiti illata, quae animi arcem compressu aut concussu afficit; vitia fabricam cerebri corrumpentia; membranae ejusdem praeter naturam crassae; ossa excrementia, calculi, steatomatosi aliive tumores, &c. sanguinis aut feri effusio, quae vim cerebri pressu minuit.

Causae

Causae quidem jam dictae, morbis lethargicis occasionem praebent; eaedem<sup>que</sup> autem pleraeque, modo leviores sint, oculos solos interdum affecerint.

Quicquid distributionem sanguinis abnormem caput versus efficit, aut reditum ejus inde prohibet, humorum congestui et effusioni intra cranium favebit, quae res causa hujus mali minime rara esse videtur.

Caligo violentiori corporis nisui, gravioris puta ponderis elationi, aut portationi supervenit, et quibus mens exaestuatur ira, vel etiam gaudio aliquando lumina subito extinguuntur. Nonnulli quidem ita a natura comparati sunt, ut se inclinare nequeant, quin caecitate fugace tententur.

Qui nocturno certare mero gestiunt, hi quoque volaticas caliginis tentationes experi-  
ri



ri solent ; quod ex sanguinis cursu caput versus festinato praecipue exoriri videtur.

Exinanitiones solitae, haemorrhagiae, &c. suppressae, eruptiones variae e cutis superficie repressae, omniaque quotquot nimiae sanguinis abundantiae favent, hanc quidem perinde ac caeteras nervorum resolutiones, concitârunt.

Impetus sanguinis solitus caput versus ex quavis causa, exinanitionibus puta nimis, et praesertim sanguineis, deficiens, magna-que a febribus, aliisve causis imbecillitas caecitatem pepererunt.

Is est quarundem corporis partium nexus, ut aliis affectis, aliae quam celerrime in consensum rapiantur : cerebrum ac stomachus hac lege, prae caeteris machinae organis, unicè ligantur : inde plurima in

hunc

hunc recepta, illud nunquam non labefactant : sic digitalis purpurea, stramonium, &c. hausta, malum moverunt. Venena pariter metallica ; nicotianae fumus in intestina infusus, vermes quoque, similes ediderunt effectus.

Malum insuper frigori hydrargyri faturis admoto tributum est : porro e lue venerea, et podagra provenisse fertur.

Amaurosis denique morbi comitialis, et hysteriae quoque, effectus est ; et finita horum malorum tentatione, oculo lux denovo affulget. Vis cerebri collapsa, stuporque, qui sensus urget inertes, rei rationem tam plene reddunt, ut aciem amissam solam muscutorum oculi spasmo imputare minime necessarium videatur.

Causae pleraeque jam dictae *nervum opticum*

*ticum* afficientes, nexum cerebrum inter et retinam praecidendo caliginosâ nocte oculum prement. Quibusdam huic malo damnatis nervus opticus complanatus, flaccidus, aridus, aliove vitio corruptus, post mortem repertus est.

Membranae, quâ e cranio transit, inflammatio, aut arteriae oculi centralis distentio lumina compresso nervo optico extinguere potuerint. Lugubre mali exemplum e nervo optico, fractis orbitae officulis, compresso, natum vidi.

## CAUSAE RETINAE NOCENTES.

Lux, proprius retinae stimulus, splendidissima subito, minus vero splendida lentius, sentiendi vim penitus delebit. Sic quibusdam, fulgur vividus, atque (ut fertur), “ bom-

C

“ bardae

“bardae explosio” caecitatem dictò citius induxere. Quibus oculorum acies arenarum Africae, aut nivosae terrae plagae, splendore diu perstringuuntur, in morbum nonnunquam incidunt. Miseros, Tullianis, aliisque locis tenebrosis diu inclusos, subito de novo solis luci objectos, occaecatos fuisse narratur.

Nimia oculorum exercitatio caliginem sensim ac pedetentim creat. Qui coelum stellatum telescopio attentius explorant, qui literarum studio nimis dediti, dies, noctesque continuas, aetatem in rebus discendis conterunt, (cujus Poeta immortalis, Miltonus noster, lugubre documentum praebet,) haud raro infelices; digni meliore fato, se suasque fortunas Musarum Aris devovent; et philosophiam non nisi immenso pretio, lumine ipso, parant.

Artifices

Artifices qui oculos multum, rerum praefertim minutarum inspectione necessario exercitant, haud raro caligine plectuntur. Opera forsan sedentaria et perpetua fere capitis inclinatio huic malo ansam praebere potuerint.

Corpuscula insigni velocitate in oculum involitantia, morbum, externa licet laesio vix manifesta fuerit, haud raro excitant. Exempla hujusmodi lapicidis, quorum non pauci, minutissimis lapidum fragmentis scalpro in oculos vibratis visu orbantur, frequenter eveniunt.

Oculi membranae adeo tensae, et humores compressu difficiles sunt, ut impetus cum retina communicetur; faevus oculi dolor exoritur, cui inflammatio profunde sita superveniens, tempus licet breve duratura, retinae vires penitus delebit.

*Diag-*



*Diagnofis.*—Amaurofis ab aliis oculi affectionibus humorum pellucidate fecernitur; his autem aetate provecta, obfcurioribus faepe factis, cum nascente lentis caligine confundi potest; hac autem inchoatâ, macula obfcura in media lente confpici potest; et iris, incolumi retinâ, et luce admotâ, fe contrahit. Porro aeger, obfcurâ luce aut crepusculo, clarius cernit; pupillâ enim inde ampliata, majus radiorum lucis penicillum per eandem tranfubit, quique macula obfcura non intercipiuntur, hi facilè ad retinam pervenient.

*Prognofis* est fere femper infausta; pauci enim ex multis, qui malo afficiuntur, vifum recuperant. Judicium autem de mali eventu, caufa cognita; magnâ ex parte pendebit. Malum subito natum multo facilius quam fi tardè sine caufa manîfesta obreperit, fanatur. Quo recentior morbus,

et

et quo minus exquisita fuerint signa, eo major effulgebit spes.

## RATIO MEDENDI.

Amaurosis vel cum effusionis in cerebrum, vel sanguinis in capitis vasis congestus, vel denique debilitatis generalis, signis se plerumque ostendit:

Malum ex effusione in cavum cranii ortum, hydrocephalo interno affine est, et raro medicinam admittit: vesicatoriis capiti admotis saepiusque repetitis, errhinis, et refractis hydrargyri muriati mitis dosibus diu adhibitis, debellari debet.

Quando sanguinis in capite congestus ex nimia totius corporis plenitudine pendet, res generalem sanguinis detractionem postulare

tulare videatur ; fin minus vena juxta partem laborantem pertusa satis fit ; capillis igitur abrafis, capiteque frigidâ loto, fanguis hirudinibus, vel cucurbitulis cum ferro, temporibus, et fronte faepius prout figna postulaverint, admotis detrahatur oportet.

Veficatoria toti capiti continuata ferie admota insigniter profuiffe experientiâ constat : ad fanguinis distributionem abnormem tollendam pertinent : vafa externa quibus admoventur ftimulando, internorum actionem minuunt : porro humorum detractio-  
ne nonnihil proficiunt. Tutius, post vafa exinanita imponi poffunt.

*Medicamenta Cathartica*, inter quae hydrargyrus muriatus mitis eminet, felicitate haud afpernenda, dari folent, “ derivatio-  
“ nem enim abdomen verfus efficit (alvi pur-  
“ gatio nimirum) motumque fanguinis per  
“ omnia.

“ omnia hujus viscera promovet, et multum  
 “ humorem tenuem ex sanguine detrahit,  
 “ et sic inanitio generalis fit, et tensionem  
 “ vaforum quae sanguinem ubique vehunt,  
 “ minuit, et sanguinis ideo impetum tem-  
 “ perat, et actionem vaforum absorbentium  
 “ excitat atque intendit\*.” Porro alvi  
 purgatio sanguinis congestui in capite egre-  
 gie prodest ; exinanitis enim abdominis ex-  
 tis, septo transverso solito inferius descen-  
 dendi copia datur ; quod liberiores sanguini-  
 nis cursus per pulmonem efficiendo, capi-  
 ti subvenit.

*Vomitoria*, malo irâ nato, profuisse ferun-  
 tur ; cum autem sanguis, inter vomendum,  
 caput versus ingenti vi propellitur, in mul-  
 tis exemplis nocere potuerint.

Aeger diaetâ tenui, et aurâ frigidulâ,  
 cunctis simul tum animi tum corporis irri-  
 tationibus

\* Gregory *Conspect. Med. Theor.* § 1418.

tationibus caute evitatis vesci debebit. Si tussis urgeat, eadem, quippe quae, sanguinis cursum caput versus accelerando signa adaugeat, confopiri necesse est. Senis corporis exercitatio praecipienda est, utpotè quae plenitudinem minuit, distributionemque sanguinis aequabilem praestat.

Si menses, cutifve eruptiones, repressa, mali causas extitisse suspicio incidit; eadem remediis idoneis revocari opus est.

Amaurosi a debilitate, auxiliis, quae totum corpus firmant, atque stimulant, partesque affectas rectè irritant, medeatur oportet: hìc diaeta nutriens, vinum, aër purus, et frigidarii, si aeger ferre queat, usus, quae plus omnibus medicamentis, tonicis dictis, valere solent, cumprimis requiruntur.

Cinchona



Cinchona officinalis, amara, ferri præparata, gummi resinæ, *ammoniae carbonas*, sinapis femina, valeriana officinalis, &c. exhiberi solent.

Medicus rerum usu peritus valerianam dosibus magnis (ad ʒi) exemplis qualibus vulgo præscribitur haud parum; minoribus vero datam, nihil fere, profuisse, me certiores fecit.

*Arnica montana* contra hoc malum, medicorum sermone plurimum celebrata fuit; et in quibusdam exemplis profuisse videtur: quales autem, apud nos, effectus edere solet, laudes, quibus a cel. Collins efferuntur, minime mereri videntur.

*Hydrargyrus* parvis dosibus diu datus, inter optima, quibus in hoc malo, auxilia utimur, haberi quidem debet; totum cor-

pus stimulat, vasorum resorbentium actionem excitat, et omnibus, quae ad obstructas corporis partes recludendas nobis suppetunt remedia, praestat.

*Aura electrica* in hac pariter ac in aliis nervorum affectionibus, haud sine fructu adhibita fuit: caveri autem debet ne actione vasorum nimis aucta, usurpetur; in hujusmodi enim exemplis, non nocere non potest. Scintillae e fronte, et praesertim partibus oculum ambientibus elici debent; et quibusdam forsan, aurae rivus magis conveniat. Hoc remedio constanter et diu adhibito multis succurritur, nonnullisque, ut usus docuit, medetur;—in exemplis autem longe pluribus, ignis aethereus, caeterorum remediorum instar, frustra adhibetur. Aliorum quidem medicamentorum usum minime praeccludit; imo contra postulat, aliis enim exemplis per se nihil profuit, ali-

is vero, aliis simul auxiliantibus, profecit. Auxilium igitur fert, petitque viciffim.

Palpebrae, partesque oculo circumdatae, frigescentes, ac rigefcentes linimento faponeo cum tinctura cantharidum, cautè, ne quid oculo illabatur, fricari debent. Capfici infufio oculo ipfi indita morbum quidem profligavit: uni capfici grano aquae interterendum in mortario, uncia addi, liquorque post aliquod tempus per chartam coli, debent; hujus infufionis guttae duae trefve oculo aegri in dorfum recubantis omni mane et vespere instillandae; et aegro fimul praecipendum, ut eafdem in totam oculi superficiem palpebris motis diffundat.

Ob confenfum oculos inter et nares, *Errhina* ufurpantur: pulvis afari naribus haufus copiofam mucii detractionem promovet, oculisque

oculisque lacrymationem ciet; multique caligantes eodem usu, sibi meliusculè esse credunt.

Jamque remedia, quae medecina, dira caligine laborantibus hæctenus commendavit, eidemque maxime prodesse comperit, qua par est diligentia recensuimus: plerisque autem medicorum tentaminibus nec ineluctabile mali progredientis, vi occurrì, nedum pertinace etiam remediorum usu mederi maxime dolendum est.

Cum autem nonnulli horum medicaminum vi convaluerint; et permulti quidem levamen ad tempus ex iisdem experti sint, mali sanationem, modo medicina tempestive, diu atque peritè, adhibeatur, in multo meliore spe, quam plerumque solet, ponendam censeo.

*F I N I S.*



























